



## **Crimen Fori Ecclesiastici**

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1727**

**VD18 13510827-001**

Titulus X. De his, qui Filios occiderunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)



# PARS II.

## De Criminibus adversantibus Charitati Proximi.

**A** Criminibus, quæ DEO, ejus Cultui, & veræ Religioni immediatè opposita sunt, descenditur ad illa, quæ lædunt Charitatem Proximi: quod in triplici bonorum genere potest contingere, scilicet in bonis vitæ, famæ, & fortunæ. Hæc igitur crimina, quamvis non omnia Pars hæc Secunda complectetur: initium fit à bonis vitæ.

## TITULUS X.

### De his, qui Filios occiderunt.

## SUMMARIUM.

1. Parricidium est crimen gravissimum.
2. Ejus Definitio.
3. &c. Quinam Parricidarum nomine veniant?
8. &c. Utrum Parricidij culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium?
12. &c. Quinam casus, & cause excusent à culpa, & pœna Parricidij filios, si parentes occidant?
18. &c. Pœnæ decretae in filios, qui occiderunt suos parentes.
23. &c. Pœnæ Parentum interficientium Liberos.
28. &c. Pœnæ procurantium abortum.
34. Pœna Parricidij improprie talis.

**E**X ijs Criminibus, quibus vita Proximi læditur, gravissimum facile est Parricidium: & hinc non immeritò illud Imperator §. alia 6. *Inst. de Public. Judic.* vocat *Asperissimum crimen*; quem sequitur Hôst. *Summ. h. tit. pr.* ubi ait, inter delicta, quæ in hominem committuntur, nullum gravius esse, quam homicidium, & inter homicidia pariter nullum reputari gravius, quam Parricidium. Adscriptur cum alijs Decian. *tr. crim. l. 9. c. 6. n. 1.* ubi Parricidium maximum omnium scelus, & etiam Sacriligium appellat.

Quæritur 1. quid sit Parricidium, & quinam in Jure Parricidarum nomine veniant? *U.* voce Parricidij olim quodvis Homicidium, & Delictum Capitale venit *arg. l. necessarium 2. §. quia 23. ff. de origin. Jur.* juxta quam ij, qui præerant rebus capitalibus, Quasi res Parricidij appellabantur. Harpprecht ad §. alia cit. n. 2. König *hic n. 1.* In presentiarum significat Homicidium in personas

conjunctas impiè commissum: & dividitur in Parricidium propriè, & verè tale, quod à Liberis in Parentes, vel à Parentibus in Liberos commissum est *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et in improprie tale, quando occiduntur cognati collaterales, vel affines, irémque conjuges *l. lege 1. ff. de Leg. Pompei. de Parricid.*

Quare Parricidarum nomine veniunt 3

1. Liberi, qui occidunt proprium Patrem, vel Matrem: quod verum est, etiamsi tantum sit Vitricus, vel Noverca *l. lege cit.* vel etiam naturalis tantum, & non legitimus, vel legitima. Clar. §. Parricidium n. 2. Azor *p. 2. l. 2. c. 25. q. 1.* Farin. *prax. crim. q. 120. n. 105. 110.* § III. Perez. *in Cod. tit. de his, qui parent. vel liber. occid. n. 5. § 6.* Harpp. in §. alia cit. n. 2. § 10. Brunnem. *ad l. lege cit. n. 1.* Stryck. *Uf. modern. Pandect. tit. de Leg. Pomp. de Parricid. circ. med.* Engl *hic n. 1.* Pirhing n. 1. König n. 6. Reiffenstuel n. 2. Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 58.*

Y 3

n. 58. quia Lex Pompeja sanguinem potius, quam respectum Civilem attendit.

2. Parentes, qui occidunt filios §. *alia*, & *l. lege cit. junct. l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et extenditur etiam ad Vitricum, & Novercam, si occidat Privignum, vel Privignam, Farin. *l. cit. n. 111.* Harppr. in §. *alia cit. n. 5.* Manz. *ibid. n. 9.* cum alijs *suprà.* Neque obstat, quòd olim Lege Regia parentum potestas etiam in vitam Liberorum fuerit *l. in suis 11. fin. ff. de Liber. & Posthum.* & *l. fin. C. de Patr. potest. ibi, Patribus, quibus jus vite in liberos, necisque potestas olim erat permessa.* nam potestas ista ipsidem Patribus postea etiam per Legem humanam adempta fuit, quòd patria potestas in pietate debeat, non atrocitate consistere, ut dicitur *l. Divus 5. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 73.* Harppr. *l. cit. n. 7.* Manz. *ibid. n. 10.* Gonzal. in *e. 3. b. tit. n. 6.* Reiffentuel *hic n. 3.*

3. Nepotes, & neptes, occidentes Avum, vel Aviam, aut alios quoscunque Ascendentes, & contra in infinitum *l. lege cit. & ibi Gloss. V. Aviam, V. Pœnam, & V. filium, Azor q. 2. Farin. q. 120. n. 108. & 109.* Berlich. *concl. 6. n. 24. & 25.* Harppr. §. *alia cit. n. 5.* Fleck. *Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 12.* Pirhing *n. 1.*

4. Socer, aut Socrus occidens Generum, vel Nurum, & vice versa *l. lege cit. & ibi Gloss. V. Socerum, Azor q. 2. Farin. q. 120. n. 117.* Berlich. *concl. 7. n. 83.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Pirhing *l. cit. König n. 8.*

5. Maritus occidens uxorem, & contra *l. lege cit. Farin. n. 129.* quod extenditur etiam ad eum, qui occidit Sponsam, & contra *l. sciendum 3. & ibi Gloss. V. in pari fin. Azor q. 2. Farin. n. 132.* Berlich. *concl. 7. n. 39.* & *seqq.* Brunnem. *n. 1.* Pirhing, König *l. cit.* Imò Parricidij reum se facit etiam, qui occidit Patrem, vel Matrem Sponsæ, & vicissim; quia Pater, & Mater Sponsæ veniunt appellatione Socer, & Socrus, & contra Sponsus venit appellatione Generi, Farin. *n. 132. cit.*

6. Frater occidens Fratrem, vel Sororem, & contra *l. lege cit.* Estque perinde, si sint utrinque conjuncti, siue per Patrem, aut Matrem tantum. Gloss. *marg. in l. cit. Azor q. 2. Farin. n. 124.* Berlich. *concl. 7. n. 63.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Pirhing *n. 1.* König *n. 8.*

7. Confanguineus quicumque transversalis occidens alium Confanguineum intra quartum Gradum inclusivè. Clar. §. *Parricidium n. 4.* Azor *q. 2. Farin. n. 126.* Berlich. *concl. 7. n. 79.* & *sc.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Fleck. *tit. 33. n. 12.* Pirhing, König *l. cit.*

8. Libertus occidens Patronum, vel Patronam *l. 1. cit. & ibi Gloss. V. Patronum, Farin. n. 113.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Pirh. *l. cit.*

Dub. 1. utrum Parricidij culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium? *sc.* affirmativè. *Sc.* enim 1. porrigitur ad eum, cujus mandato commissum est Parricidium *l. lege cit. ibi, Cyprius dolo malo id factum erit. Azor p. 2. l. 2. c. 25. q. 2. Farin. q. 120. n. 134.* Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 38.* Harppr. in §. *alia 6. Inst. de Publ. Judic. n. 11.* Pirhing *n. 1.*

2. Ad eum, qui ad Parricidium opem aliquam, consilium, vel auxilium præstitit. Farin. *n. 139.* Et hinc Parricidij reus est, qui emit venenum, ut illud filius Patri daret. *Proceditque hoc, csi filius Patri illud non potuerit dare l. sciente 7. §. de Leg. Pomp. de Parricid.* ubi Gloss. *marg. ait, Conatus interdum punitur sine effectu, Berlich. concl. 6. n. 43. & seqq.* Harppr. *n. 12. & 14.* Manz. *n. 11.* Pirhing *l. cit. König n. 9.* Neque obstat, quòd teste Clar. §. *fin. q. 92. n. 1.* & alijs, nunc consuetudine per totum Orbem inoleverit, ut nifus, vel conatus pro effectu non sit putandus, vel puniendus; nam, ut idem Clar. *l. cit. n. 2.* explicat, excipienda sunt crimina atrocissima; nam in his, quando conatus venit ad actum proximum, ita, ut per delinquentem non steterit, securum fuisse effectum, affectus pro effectu puniuntur: imò juxta eundem Clarum neque in alijs delictis conatus debet esse sine omni pœna.

3. Ad omnes confcios, & participes<sup>10</sup> pes hujus criminis *l. utrum 6. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Host. *Summ. b. tit. n. 1.* Azor *c. 25. cit. q. 2.* Berlich. *concl. 6. n. 39.* & *seqq.* Perez in *Cod. tit. de his, qui parent. n. 7.* Brunnem. *ad l. 1. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. n. 2. & ad l. utrum cit. n. un.* Harppr. *n. 11.* Manz. *n. 12.* Pirhing *l. cit.*

Dixi Confcios, & participes; nam scientibus solum, nec patefacientibus, & non participibus, etiam eventu secuto, non ordinariam, sed leviorè pœnam imponendam existimant Berlich. *concl. 6. n. 42.* Perez *n. 7. cit. Harppr. n. 23.*

Dub. 2. quanam casus, & causa excusent à culpa, & pœna Parricidij filios, si parentes occidant? *sc.* 1. excusantur, si sint furiosi, & in furore, quo de statu mentis dejecti sunt, parentes occiderint; nam hi *furore ipso satis puniuntur*, ut dicitur *l. pœna 9. §. fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Farin. *q. 120. n. 181. limit. 7.* Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 55.* Perez in *Cod. tit. de his, qui parent. vel fil. occider. n. 10.*

2. Si filius Patrem ignoranter, & sine dolo, puta de nocte, vel in conflictu, in-

incognitum, aut insolito vestitu indultum occidat, quia Parricidij culpa, & poena requirit, ut dolus intervenerit. Menoch. de arbitr. cas. 356. n. 28. Decian. l. 9. tr. crim. c. 15. n. 1. § n. 35. Berlich. concl. 6. n. 57. Farin. n. 182. limit. 8.

3. Si filius à Patre fuit expositus, & major factus eundem occidat; quia per talem expositionem Pater amisit jus patriæ potestatis: & idcirco occisio illius non dicitur Parricidium, saltem in foro externo, Menoch. cas. 356. n. 30. Decian. l. 9. c. 2. n. 9. & c. 15. n. 29. Farin. n. 164. limit. 3. Berlich. n. 59.

4. Si filius sit adoptivus; nam hic si Patrem Adoptivum occidat, non punitur ut Parricida, tum quia Lex Pompeja de Parricid. inducta fuit ob violatam naturam, quæ in Adoptivis nullam patitur injuriam; tum etiam, quia filiorum appellatione non veniunt Adoptivi, qui non verè, & propriè, sed fictè, & imaginariè filij dicuntur, Menoch. cas. 356. n. 36. Farin. n. 163. Berlich. n. 56. qui tamen addunt, tale homicidium gravius puniendum, quam aliud simplex.

5. Si filius occidat Parentem ex causa defensionis necessariæ, observato moderamine inculpatae tutelæ; quia defensio Jure naturæ cuius permilla est, & omnis honesta ratio expediendæ salutis, ut habetur l. ut vim. 3. ff. de l. § l. l. itaque 4. ff. ad Leg. Aquil. l. Prator. 1. §. vim vi 27. ff. de vi, & vi armat. Menoch. l. cit. n. 35. Farin. n. 186. Berlich. n. 62. § 63. König hic n. 6.

6. Si filius occiderit Patrem in Patriam perduellem; Minime enim, ut Jctus l. minime 35. ff. de Rel. g. § sumpt. fun. nobiliter loquitur, Majores iugendæ putarunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit: quem si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere, etiam premio afficiendum, omnes constituerunt; nam pietas patriæ pietati in parentes preferenda est, Perez in Cod. tit. de his, qui parent. vel fil. occider. n. 10. Berlich. concl. 7. n. 28. Harppr. §. alia cit. n. 32. Engl. n. 1.

7. Plures alios casus enumerant Farin. q. 120. cit. à n. 159. Berlich. concl. 6. à n. 55. § alij. Hoc tantum notandum est, ex iisdem causis excusari etiam parentes, si filios occidant, ut videre est apud Berlich. à num. 82. Item aliquæ ex istis causis, quia omnino excusant à culpa, etiam excusant ab omni poena, aliæ contra, quia culpam non omnem tollunt, idcirco etiam solum excusant à poena ordinaria Parricidij.

8. Queritur 2. quænam poenæ decretae sint in eos, qui occiderunt suos Parentes? Et 1. quidem dubitatur de poenis, quæ per Jus Imperiale in eos latae sunt

& hic distinguendum inter Jus antiquum, & novum. Olim virgis sanguineis, h. e. usque ad sanguinem cæsus Parricida, & culeo, h. e. sacco coriaceo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia inclusus, in mare, aut flumen proximum jactabatur; vel si mare, aut flumen non esset proximum, bestiis obijciebatur, ab ijs lacerandus §. alia 6. Inst. de Publ. Judic. l. poena 9. pr. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. & l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider. ubi ratio redditur, ut omni Elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. Mixtura autem dictorum animalium, ut refert Vivian. in c. 1. b. tit. ad majorem Parricidæ poenam adinventæ est; quia canis naturæ fugat Simiam, Simia Gallum, Gallus Viperam, & cum Vipera non inveniat refugium, intrat corpus Parricidæ.

Pœna ista in Hispania, teste Gomez l. 3. var. c. 3. n. 4. adhuc in usu est, hoc solum immutato, quod Parricida, ad evitandam desperationem, prius interficiatur, ejusque solummodo corpus, cum ejusmodi animalibus sacco inclusum, in undas jactetur. In Saxonia, teste Berlich. p. 4. concl. 6. n. 14. § 15. & Stryck. Us. mod. Paud. tit. de Leg. Pomp. de Parricid. §. 1. loco Simiæ substituitur felis, & si serpentes vivi haberi nequeant, in charta, seu linteo serpens depingitur, & ita pictura cum Parricida sacco inferitur. In alijs locis animalia illa, de quibus in Legibus Romanis fit mentio, non adduntur; sed Parricida, sacco linteo inclusus, tamdiu deprimitur in aquam, donec suffocetur. Carpzov. prax. crim. q. 120. n. 19. Berlich. l. cit. n. 13. Stryck. §. 1.

In plerisque Provinciis, & Regnis culei, & submersiois poena propter ejus crudelitatem exolevit, & ejus loco successerunt aliæ poenæ, potestate Judici data, ut pro varietate circumstantiarum exasperare illas, vel mitigare possit. Alicubi Parricidarum membra rotæ subijciuntur; alibi ad caudam equi affixi, & crati vimineæ insidentes, dedecorosè ad supplicij locum pertrahuntur, ibique decapitantur, & rotæ imponuntur; in alijs locis strangulati, & dolio inclusi in flumen abijciuntur: in nonnullis in quatuor partes dissecti suspenduntur, vel canibus lacerandi traduntur &c. Clar. §. Parricidium n. 5. Farin. q. 120. n. 12. Perez in Cod. tit. de his, qui parent. vel liber. occider. n. 3. Brunneinan. ad l. 7. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. n. 1. Harppr. §. alia cit. n. 30. Manz. ibid. n. 22. Engl. hic n. 2. Pithing n. 2. Wiefner n. 3. Reifentuel n. 6.

Dub. 2. quænam poenæ in parentum interfectores late sint de Jure Canonico? n. antiquioribus Ecclesiæ Sanctionibus can. aut facta 19. dist. 1. de pœnit. habetur, in

in illos generatim animadvertendum severius, quam in Homicidas ceteros. Poenitentia *can. latorem 15, causi 33, q. 2.* à Nicolao Papa interfectori parentis interdictus est ingressus Ecclesiae uno anno, tribus Sacra Communio, decem annis Oblationes, præter jejunia, abstinentiam à carnibus, & vino, & alia poenitentiae opera. Jure Decretalium nulla extat constituta poena, fortassis ideo, quòd, ut olim Salon, teste Seneca *l. 1. de Clementia*, ita etiam Summi Pontifices existimarent, tam abominando, & ab humanitate omni alieno scelere se neminem contaminaturum, ut eruditè advertit Gonzal, *in c. fin. b. tit. n. 4.* Hodie de Jure isto Parricidarum poena est arbitraria, pro excessu augenda, vel minuenda. *Engl. hic n. 2. fin. König ibid n. 12.*

22. Dub. 3. an aliquo tempore extinguatur accusatio, & poena Parricidij? *n. negativè*: sed accusatio ejus propter atrocitatem, & enormitatem criminis perpetua est, ejusque poena nullo unquam tempore, ne quidem immemoriali, præscribi potest per textum expressum *l. fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. Decian, tra. crim. l. 9. c. 6. n. 10. & c. 14. n. 2. Farin. q. 120. n. 138. Berlich, p. 4. concl. 7. n. 36. Harppr. in §. alia 6. n. 34. Inst. de Publ. Jud. Fleck. Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 56.*

23. Quæritur 3. quæ sit poena Parentum interficientium Liberos? *Et 1. quidem dubitatur de poena Juris Civilis? n.* hoc Jure spectanda sunt tria tempora. 1. Legis Regiæ, quæ introductum fuit, ut Pater in Liberos suos vitæ, ac necis haberet potestatem *l. in suis 11. ff. de Liber. Posthum. & l. fin. C. de patr. potest.* quæ tamen potestas eidem postea etiam per Jus Civile sublata est, prout dictum est *n. 4.* 2. Posteriorum temporum usque ad tempora Constantini M. ubi nex filio illata in Parente poenâ Homicidij ordinariâ puniri cœpit. *P. Wiest. hic n. 6.* 3. A temporibus Constantini, ubi Parricidij poena, de qua *n. 18.* extensa est etiam ad Parentes, qui suos occidunt filios *§. alia 6. Inst. de Publ. Judic. & l. un. C. de his, qui parent, vel liber. occider.*

24. Juxta *Const. crim. Carol. V. art. 131.* mater, quæ vivum infantem à se editum malitiosè occidit, viva in terram defoditur, & per ejus corpus sipes, seu palus transfigitur: quæ tamen poena *ibidem* ad desperationem evitandam mitigatur, & permittitur Judicibus, ut, ubi copia fluminis adest, trucidatrix sui proprii partus aquâ suffocetur; & ubi delictum hoc frequens esset, ante submerfionem candentibus forcipibus torqueatur, secundum arbitrium Judicis. Sed etiam hæc submerfionis poena in usu esse desijt, ejusque loco alii poenæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio Judicis, & consuetudine locorum

vel Legum municipalium exasperandæ, vel mitigandæ, infliguntur. *Berlich, p. 4. concl. 6. n. 2. & seqq. Fleck. Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 57. König hic n. 11. Reiffenstuel ibid. n. 6.*

Additur in *cit. art. 131. Const. Carol.* quòd meretrix, quæ ciam peperit, & se abortum fecisse dicit, infanticidij rea esse præsumatur, & nisi innocentiam suam legitime probaverit, eamque præsumptionem ex alijs rei circumstantijs legitime diluerit, per tormenta ad confessionem veritatis cogi possit. *Berlich, p. 4. concl. 7. n. 29. & concl. 8. n. 30. Fleck. Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 59.*

Dub. 2. quæ sit poena Juris Canonici, in Parentes Liberosum interfectorum lata? *n.* de his duo sunt constituta. 1. Mater filij interfectrix, si vidua sit, per *c. veniens 1. b. tit.* jubetur detrudi in Monasterium, & si de ejus incontinentia non timeatur aceri à secundis Nuptijs. Si verò sit conjugata, à marito quidem non est separanda, alijs tamen modis puniri debet *c. intelleximus 2. eod.* Hodie tamen hujusmodi homicidæ tam Parentes, quam Liberi vix unquam puniuntur à Judicibus Ecclesiasticis, sed à Curia tantum Sæculari, ad quam proinde Reus, si Laicus sit, remitti solet. Si verò sit Clericus, prius juxta præscriptum Canonum degradari debet, sicque degradatus traditur Curie Sæculari, non expectata alia incorrigibilitate. *Farin. q. 120. n. 21. Vivian. in c. 1. cit. pr. Schambog. n. 4. hic: & meritò*; cum enim propter simplex Homicidium Clericus degradari, & in archum Monasterium detrudi debeat *c. enim non ab homine 10. de Judic. & c. tue 6. de penis*, pro qualificato homicidio utique gravis puniri debet, *conf. Curie Sæculari tradi, cum Ecclesia aliam graviorem poenam non habeat. Pirhing hic n. 5. Reiffenstuel ibid. n. 10.*

2. Parentes, qui tenellos adhuc infantes, in suo lecto collocatos, opprimunt, etiamsi oppressionem illorum nec intenderint, nec præviderint, quia tamen, eos in lectum communem recipiendo, periculo oppressionis exposuerunt, à Lucio III. *c. fin. b. tit.* jubentur tres annos agere in Poenitentia, & horum unum in pane, & aqua: quæ poena hodie sublata est, testibus Menoch. *de arbitr. q. 356. n. 61. Decian. l. 9. c. 2. n. 26. Wagnereck in c. fin. cit. in Exeg. Schamb. hic n. 3. König n. 12. fin.* Ejus loco in plerisque Diocæsiibus Germaniæ est Casus reservatus, in alijs pro arbitrio Judicis puniendus. *Wiest. hic n. 8.* Quod intelligendum, si oppressio talis culposa sit; nam quandoque culpâ prorsus caret, si videlicet lectus sit amplus, & infans aliàs implacabilis, vel aliter à frigore defendi nequeat: tunc ergo

go opprimens etiam nulli poenae erit obnoxius. Navar. Man. c. 15. n. 13. Barbof. in c. fin. cit. n. 2. Engl. n. 4. hic.

28 Queritur 4. quibus poenis subiacent parentes, & alij Abortum procurantes? si foetus fuit animatus, mater, quae abortum procurat, eumque vel in utero necat, vel vivum expellit, atque interimit, verum Parricidium committit, poenarumque illius, Jure Civili constitutarum, rea est l. Cicero 39. ff. de poenis, & Conf. crim. Carol. V. art. 133. ubi poena capitalis contra ita delinquentem specialiter statuitur. Azor c. 26. q. 3. Berlich. concl. 8. n. 1. Engl. hic n. 3. Reiffenstuel n. 13. Plerumque tamen mitius punitur Mater, quae infantem in utero perimit, prout advertunt Decian. tr. crim. l. 9. c. 8. n. 14. König n. 7. & quidem merito; licet enim non minus impia sit Mater, quae lucem invidet nascituro, & prolem extinguit, antequam eam in lucem effundat, longe tamen crudelior est illa, quae filio, quem jam natum vidit, & amplexata est, praesentem admittit vitam, & propterea etiam crudelius meretur supplicium. Interim etiam priori casu mater capitali poena plectenda est l. Cicero cit. & Conf. Carolin. art. 133.

29 Si verò foetus nondum animatus fuit, Jure Civili nec homicidij, nec ultimi supplicij rea, sed poenâ Judici arbitrariâ v. g. exilij, fustigationis &c. punienda erit mater abortum procurans Clar. S. fin. q. 63. n. 2. Menoch. de arbitr. cas. 357. Berlich. p. 4. concl. 8. n. 1. König hic n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 14. & statuitur l. Cicero cit. & Conf. Carol. art. 133. cit. Porro foetus animatus ex Physicorum, & Medicorum communi Sententia praesumitur, si masculus sit, quadragesimo, si foemina, octogesimo die. Menoch. cas. 357. cit. n. 3. Gomez l. 3. var. c. 3. n. 32. Fain. q. 122. à n. 139. Barbof. in Summ. dist. 5. n. 2. Wiest. tit. de Homicid. n. 54.

30 Jure Ecclesiastico contra quoscunque sive directè, sive indirectè procurantes Abortum gravissimâ constituta sunt poenae, praecipue verò per Conf. Sixti V. incipit Ad effrenatam, quae est 87. inter Constitutiones dicti Pontificis in Tom. 2. Bullarj Cherubini, & per extensum referatur à P. Reiffenstuel hic n. 16. Hanc tamen postea moderatus est Gregorius XIV. Conf. incipit Sedes Apostolica, & itaque inter Constitutiones illius Pont. ordine 8. in Tom. 2. Bullar. Cherub. per extensum relata apud P. Reiffenstuel n. 18. hic. Et quidem, quando foetus non est animatus, in totum tollitur Constitutio Sixti V. & reducitur ad dispositionem Juris communis: quando verò animatus fuit, fit moderatio quoad Absolutionem à peccato, & Excommunicationem reservatam Ordinarij. P. Schmalzgrueber L. V. T. 1.

rio in foro conscientiae tantum. Barbof. de Offi. Episc. alleg. 51. n. 136. circa ceteras poenas autem dicta Constitutio Sixtina in pleno suo vigore mansit. Azor p. 2. l. 2. c. 26. q. 3. Barbof. l. cit. Sporer p. 4. c. 4. sect. 2. n. 714. & hoc teste omnes, patèntque ex ipsa Bulla Gregoriana.

Adeoque, qui directè, vel indirectè, per se, vel per alium quocunque modo procurant Abortum foetus animati, vel ad id consilium, aut auxilium praestant, vel favorem incurrunt 1. omnes poenas ab utroque Jure contra Homicidas voluntarios constitutas. 2. Contrahunt Irregularitatem. 3. Sunt privati omni privilegio Clericali. 4. Sunt inhabiles ad omnia Officia, & Beneficia tam Simplicia, quam Curata. 5. Ipso facto excommunicantur. 6. Si Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum habent, ipso facto eo privantur, & tam ad idem, quam quodvis aliud perpetuò sunt inhabiles. 7. Insuper si ita delinquens sit Clericus, debet deponi, & degradari, sicque degradatus tradi Curiae Seculari puniendus juxta Leges Divinas & humanas.

Et quidem poena Irregularitatis, 32 Excommunicationis, & inhabilitatis ad Beneficia obligat in foro conscientiae ante omnem Judicis sententiam, & quantumvis delictum occultum sit, Reiffenstuel hic n. 20. Poena verò Beneficij prius habitij, quia executionem externam requirit, ante sententiam Judicis saltem declaratoriam criminis non obligat, ut proin hac, sicut & Degradationis, & traditionis ad Curiam secularem, locum non habeat, quamdij Delictum occultum manet, Reiffenstuel n. 21. Quia tamen ante eandem sententiam, & licet Delictum occultum sit, ut paulò antea dictum est, ipso facto Irregulares sunt, conf. praeter alios Irregularitatis effectus non amplius possunt celebrare Missas (quod tamen plurima Beneficia requirunt) saltem ex hoc capite ante omnem Sententiam in foro conscientiae tenebuntur dimittere Beneficia sua; quia obligationi, vigore Beneficij imposita, satisfacere non amplius possunt, nisi à Papa dispensetur: quod tamen difficillimè, & non nisi urgentissimis de causis fieri potest, ut habet Bulla Sixtina cit. S. 8. circ. fin. Reiffenstuel n. 25.

Circa dispensationem, & absolutionem ab his poenis id solum moderatus est Gregorius XIV. quòd ab Excommunicatione, in Bulla prius strictissimè reservatâ, absolvere possit quivis Episcopus, & quivis Confessarius ab eo specialiter deputatus. Unde nec in Irregularitate, nec in privatione Beneficiorum, ac inhabilitate ad illa ullo modo dispensare valet Episcopus potestate sua Ordinaria, ut contra Sporer p. 4. c. 4. n. 722. fin. rectius docet Reiffenstuel.

fenstuel hic n. 22. & patet ex *Constit. Sixtin.* cit. ubi Pontifex Dispensationem hanc expressè sibi reservavit, quæ quoad hoc per *Gregorium XV.* non est correctæ. Neque suffragatur in hoc Episcopis *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* quia ibi solum conceditur Episcopis facultas dispensandi in Irregularitatibus, & suspensionibus, provenientibus ex Delicto occulto, exceptâ illâ, quæ provenit ex Homicidio, non item in alijs pœnis lege Pontificia latis. est autem procuratio Abortûs fœtus animati verè Homicidium. ergo &c.

84. Quæritur 5. Quæ sit Pœna Parricidij improprie talis, quando occiditur consanguineus collateralis à consanguineo, uxor à marito &c. *xx.* Jure Civili in hos animadvertitur pœnâ ordinariâ Legis Corneliæ de Sicarijs, i. e. supplicio ordinario Homicidij, ut patet ex §. *alia 6. fin. l. ff.*

de *Publ. Julic.* ibi, si quis autem alias cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnam Legis Corneliæ de Sicarijs sustinebit. Quod item habetur l. *pœna 9. §. qui alias 1. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* ibi, Qui alias personas occiderint, præter patrem, & matrem, avum, & aviam, --- capitis pœna plestantur, aut ultimo supplicio maudentur: ita tamen, ut etiam pro diversitate circumstantiarum, & consuetudine locorum pœna hæc interdum exasperetur. Et quidem juxta *Constit. crim. Carol. V. art. 137. fin.* persona, qua conjugem, aut consanguineum propinquorem occidit, antè forcipibus candentibus adurit, vel trahæ imposita, ad locum supplicij rapitur. *Stryck. l. ff. mod. Pandect. de Leg. Pomp. de Parricid. §. 1. fin. König hic n. 13. Reiffenstuel ibid. n. 2.*

## TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

### S U M M A R I U M.

1. Quinam in hac Rubrica veniant nomine Infantium, & Languidorum?
2. &c. Peccati, quod expositione istorum committitur, gravitas.
3. &c. Pœna exponentium Infantes, & Languidos.
4. &c. Amittunt patriam, & dominicam potestatem in expositos.
12. Non tamen istam acquirunt, qui eos suscipiunt.

13. Quamvis alimenta possint repetere.
14. Quo casu istud non possint?
15. &c. Unde hujusmodi expositis subministrari alimenta debeant?
21. &c. An, & quæter dominus famulo aegrotanti providere de necessaria cura, & alimentis debeat?
25. &c. An Expositi, & alij, quorum parentes ignorantur debeant haberi pro Legitimis?

† Parricidio propinqua est inhumanitas, quâ infantes, & languidi cujuscunque ætatis, quibus ædificatio, alimenta, aut cura debetur, contra Pietatis officium expositi deseruntur *can. fin. dist. 87. can. un. b. tit. & l. necare 4. ff. de agnos. & alend. Liber. l. fin. C. b. tit. Infantium* autem nomine hic veniunt Liberi septennio minores; Languidorum verò infirmi seu illi, qui gravi, ac diuturna, præsertim verò perpetua, & incurabili detinentur infirmitate, per quam ad labores, & quæcunque negotia, aut res gerendas inhábiles existunt, cujuscunque ætatis sint. *Barbos. in Rubr. h. tit. n. 2. Wagnerbeck in c. un. V. de prædictis not. 1. eod. Pirhing hic n. 3. Schamboz. n. 4. Reiffenstuel n. 21.*

2. Quæritur 1. Quale peccatum sit exponere infantes, & languidos? *xx.* hos exponentes incurrunt gravissimum reatum culpæ, adeò, ut proprii partus expositio in quibusdam Diocesisibus sit Casus Episcopo reservatus. Idque verum est non tantum, si expositio fiat, ut infans pereat, sed etiam si fit, ut ab alijs alen-

da, & educanda assumatur. *Pars 1.* est extra controversiam; quia quantum in ipsis est, sic exponentes expositos necare videntur *can. posse 21. dist. 86. can. fin. dist. 87. l. necare 4. ff. de agnos. & alend. Liber. & l. fin. C. b. tit.* & hinc etiam tanquam Homicidæ puniuntur secundum dicenda n. 7.

*Pars 2.* tenetur à communi, & quasi unanimi DD. quia etiam tali modo facta Expositio ab utroque Jure gravissimè prohibetur, ut patet ex textibus *citt.* qui loquuntur generaliter. Concordat *Novell. 153.* ubi *pr.* Expositio infantium universaliter vocatur *crimen à sensu humano alienum*, & quod ne ab ullis quidem Barbaris admitti credibile est. Ratio est, quia dum alimentis prolem suam exponentes destituunt, ignari, num aliquis illam, antequam moriatur, assumat, & alat, periculo mortis eam exponunt, & sic etiam ipsi, quantum in se est, necare illam videntur.

Nec excusat à peccato parentem, si dicat, se non ex malevolentia erga pro-